

Formosi Papæ & Arnolphi Regis, & machinatione Hermanni Archiepiscopi in Te & in Ecclesiam Hammaburgensem temere perpetratum est, auctoritate quoque nostra & iudicio plurimorum confratrum nostrorum & sub anathemate contradicimus & omnino destruimus. Quicquid autem a Nicolao Papa, & cæteris prædecessoribus nostris Hammaburgensi Ecclesiæ concessum est, scilicet habere Archiepiscopalem potestatem in regnum Danorum, Noruorum, Sueuorum, & omnium Septentrionalium nationum & Bremensem Ecclesiam & ipsam Hamburgensem Ecclesiam non duas, sed unam esse Ecclesiam & parochiam decernimus & confirmamus. Auctoritate ergo Apostolica & censura, sub divini iudicii obtestatione & anathematis interdictu statuimus, ut nulla persona cujuscunque ordinis aut dignitatis sit, ea quæ vel in Archiepiscopali dignitate, vel quæ in conjunctionis Bremensis & Hammaburgensis Ecclesiæ a prædecessoribus nostris Ecclesiæ tuæ & tibi concessa sunt, & a nobis reformata sunt, violet. Quicumque autem mutaverit, vel in aliquo violare præsumserit, auctoritate Dei & beati Petri Apostoli & nostra, qui ejus fungimur vicariatione, perpetui anathematis vinculo immolatus \*). Hermannum autem Coloniensem Archiepiscopum, & Haddanum Moguntinum Archipræsulem pro satisfactione pœnitentiæ usque ad præfinitum a nobis tempus, a divino suspendimus officio, quoniam apud Triburiam per eos inique cassata sunt, concessa Ecclesiæ tuæ & tibi Apostolicæ sedis privilegia, & gloriosorum Imperatorum annullata sunt Testamenta. Nos quoque quemadmodum precatus es, monuimus literis Wigbertum & Bisonem, Reverendissimos & tuos convicinos Episcopos, quatenus te adjuvent & ad te convenientes ordinare Episcopos, in quibus Canonice inveneris locis & competens designaverit ratio. Tua ergo, sanctissime Frater, sanctimonia erit pro nobis & pro universali sancta Romana Ecclesia, & nobis remanda qualiter & ubi Episcopos ordinaveris. Datæ per manum Petri Cancellarii S. Romanæ Ecclesiæ quinto Nonas Februarii, Indictione III,

13.

911 d. 19 Maj.

Påfv. SERGIUS III:s fullmakt för HOGGERUS till Ärke-B. i Hamburg och tolkning af pallii betydelse.

SERGIUS Episcopus, Servus Servorum Dei, Reverendissimo & Sanctissimo Confratri nostro Hogero Archiepiscopo <sup>25)</sup> sanctæ Hammaburgensis Ecclesiæ <sup>26)</sup>: Diebus vitæ suæ <sup>27)</sup> tantummodo Pastores ovium solem geluque pro

---

\*) lege: innotatus. 25) Sanctæ Hammaburgensis Episcopo. 26) Apostolicam benedictionem et per gratiam Dei æternæ vitæ promereri requiem. 27) Hæc verba: Diebus vitæ suæ tantummodo; desunt & § incipit: Si Pastores.

gregis suæ custodia die ac nocte ferre contenti sunt, et <sup>28)</sup> ne quæ ex eis aut errando pereat, aut ferinis lanianda morsibus rapiatur, oculis semper vigilantibus circumspectant: quanto sudore, quanta cura debeamus esse pervigiles nos, qui Pastores animarum dicimur, attendamus; et susceptum officium exhibere erga custodiam dominicarum ovium non cessemus, ne in die diuini examinis pro nostra desidia ante summum pastorem negligentiae reatus <sup>29, 30)</sup> excruciet, unde modo honoris reuerentiæ <sup>31)</sup> sublimiores inter cæteros judicamur. Pallium autem sanctitati tuæ ad missarum solemnia celebranda, ex more, transmisimus, quod tibi <sup>32)</sup> non aliter, Ecclesiæ tuæ privilegiis in suo statu manentibus, uti largimur, <sup>33)</sup> nisi solummodo in die sanctæ ac venerandæ resurrectionis domini nostri Jesu Christi, seu in <sup>34)</sup> Natalitiis Sanctorum Apostolorum <sup>35)</sup> atque beati Baptistæ Johannis, <sup>36)</sup> nec non in assumptione sanctæ Dei genetricis Mariæ <sup>37)</sup>, simulque <sup>38)</sup> in <sup>39)</sup> dominicæ domini nostri Jesu Christi natiuitatis die, <sup>40)</sup> pariterque <sup>41)</sup> in solempnitatis Ecclesiæ tuæ die & natalicii tui die, sicut a <sup>42)</sup> prædecessore nostro domino Gregorio, hujus almæ sedis præsule sancitum est. In Secretario vero induere tua Sanctitas pallium debeat, et ita ad missarum solempnia proficisci, <sup>43)</sup> et nihil sibi amplius temerariæ præsumptionis adrogare, nedum in exteriori habitu inordinate aliquid arripiatur. Cujus quam <sup>44)</sup> indumenti honor modesta actuum vivacitate seruandus est, hortamur, ut & <sup>45)</sup> cuncta ornamenta convenient, quatenus auctore Deo recte utrobique possis esse conspicuus. Itaque vita tua filiis tuis sit regula, in ipsa, si qua fortitudo illis injecta est dirigatur, <sup>46)</sup> in ea quod imitantur <sup>47)</sup> aspiciant, in ipsa, se semper considerando proficiant, ut tuum, post dominum <sup>48)</sup>, videatur esse bonum, quod vixerint. Cor ergo neque prospera, quæ <sup>49)</sup> corporaliter blandiuntur, extollant, neque aduersa deiciant, sed quicquid illud fuerit, virtute patientiæ devinciatur. Nullum apud te locum odia, nullum favor indiscretus <sup>50)</sup> inveniant, benignum te boni sentiant, districtum mali cognoscant, insontem <sup>51)</sup> reum apud te suggestio mala non faciat, nocentem gratia non excuset, remissum te delinquentibus non ostendas, ne <sup>52)</sup> quod ultus non fueris perpetrari promittas <sup>53)</sup>. Sit in te & boni pastoris dulcedo <sup>54)</sup>, sit & iudicis severa districtio, unum scilicet, quod innocentes viuentes foueat, aliud quod inquietos feriendos a prauitate compescat. Sed quam nonnunquam præposito-

28) ut. 29, 30) inde exurgat. 31) reverentia. 32) Novaliter. 33) Non nisi. 34) Natalibus. 35) Nec non et. 36) Atque. 37) Dominæ nostræ. 38) immo. 39) deest in dominicæ. 40) nec non. 41) Natalitia Ecclesiæ tuæ die simul et in ordinationis tuæ concedimus die, et quando reconduntur reliquiæ Sanctorum à te. 42) Beatissimo. 43) Verba: et nihil usque ad adripiatur, desunt. 44) quomodo. 45) morum tuorum, deest vero cuncta. 46) dirigant. 47) imitentur. 48) Deum. 49) temporaliter. 50) invenient. 51) culpabilem. 52) nec. 53) permittas. 54) indulcedo.

rum zelus dum districtius malorum vindex vult existere, transit in crudelitatem correctio<sup>55)</sup>, iram iudicio refrena & censura disciplinæ sic utere<sup>56)</sup>, ut & culpas ferias, & a dilectione personarum, quas corrigis, non recedas. Misericordem te, prout virtus patitur, pauperibus exhibe, oppressis defensio tua subveniat, opprimentibus modesta correctio contradicat, nullius faciem contra justitiam aspicias, nullum quærentem iusta despicias, custodia in te æquitas excellat, ut nec divitem<sup>57)</sup> potentia sua aliquid apud vos extra viam suadeat rationis audere, nec pauperem de re sua faciat humiliter<sup>58)</sup> desperare: quatenus, Deo<sup>59)</sup> miserante, talis possis existere, qualem sacra Lectio præcipit, dicens: Oportet Episcopum irreprehensibilem esse. Sed his omnibus salubriter uti poteris, si Magistram charitatem habueris, quam qui secutus fuerit a recto aliquando tramite non recedit. Ecce Frater Charissime, inter multa alia ista sunt Sacerdotii, ista sunt Pallii, quæ si studiose servaveris, quod foris accepisse ostenderis intus habebis. Sancta Trinitas Fraternitatem vestram<sup>60)</sup> gratiæ suæ protectione circumdet, atque ita<sup>61)</sup> in timoris sui via nos diriget, ut, post vitæ hujus amaritudinem, ad æternam simul<sup>62)</sup> dulcedinem pervenire mereamur. Scriptum per manus<sup>63)</sup> Johannis Scrinarii Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in Mense Majo, Indictione<sup>64)</sup> decima quarta<sup>65)</sup> bene vale. Data in Kalend. Junii, per manum Theophylacti Sacellarii Sanctæ Sedis Apostolicæ. Anno Deo propitio, Pontificatus Domini Sergii Summi Pontificis, et Universitatis Papæ, in Sacratissima sede beati Petri Apostoli VIII. Indictione XIV.

14.

913 d. 29 Oct.

Påfv. JOHANNES X:s stadfästelse, vid öfversändningen af pallium till Ärke-Bisk. UNNO, på dess församlings privilegier.

JOHANNES Episcopus, servus servorum Dei, dilecto confratri Unni Venerabili Archiepiscopo Hammaburgensis Ecclesiæ tibi tuisque successoribus in perpetuum. Convenit Apostolico moderamini præ religione pollentibus benevola compassione succurrere, & poscentium animis alacre devotione impertiri assensum, ex hoc enim lucri potissimum præmium apud Dominum procul dubio promeremur, dum venerabilia loca opportune ordinata ad meliorem fuerint per nos statum perducta. Igitur, quia postulasti a nobis, quatenus pallium transmitteremus, & Archiepiscopatum Hammaburgensem totum

---

55) Correctio. 56) Secutura, *sed perperam*. 57) divites. 58) humilitas. 59) Domino. 60) Sanctitatem. 61) *deest* ita. 62) similiter. 63) Manum Steph. 64) Sexta. 65) *Hæc quæ sequuntur desunt*.